


Annus XXII

1908



PHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

CURA ET STUDIO PRESBYTEROR. CONGREGATIONIS MISSIONIS

DIRECTIO ET ADMINISTRATIO: *Via della Missione, 2 - ROMA*

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE

Pro Italia, Lib. **10** — Pro exteris regionibus, Lib. **11**.
Pro unquaque numero, Lib. **1.**


III homilia, posse cor tuum, et . . . duximus te ad! omnia, quae ego loquerer ad te de universis cetero-
nis domos Domini, et de cunctis legibus eius.
Eusebius, 44. 5.

Tanti referit mihi, quae Ecclesia de nostra Liturgia
deservat, proba cognoscatur et observetur, quam
ut sancta sancte tractentur, et fidellum pieius sacro-
rum ministerium suscipiat.
Leo XIII. B. 10 Maii 1899.



Typis Societatis Sancti Joannis Evangelistae
DESCLEE ET SOCI EDITORES

S. Sedia Apostolicae et Sa. Rituum Congregationis Typographi
ROMAE - Piazza Grazioli (Pal. Doria).



Prassix liturgica.

RITUS
in Pontificalibus celebrandis
a Protonotariis Apostolicis servandus (1).

CAPUT I.

DE VESPERIS.

ARTICULUS I.

Ritus servandus
a Protonotario de numero Participantium (2),
nec non a supranumerario (3).

§ 1.

De rebus praeparandis

1. *Ornatus ecclesiae*, ac praesertim Altaris in quo erit celebrandum, et alterius (quod in casu diversum ab illo esse debet) in quo SS. nunc Eucharistiae Sacramentum asservatur, ratio habeatur, prout late describitur in Caeremoniali Episcoporum, Lib. I, cap. XII.

(1) Ne prolixior fiat expositio, quae magis communia sunt, hic satis nota supponuntur.

(2) Ubique extra Urhem.

(3) Infra propriae Dioecesis limites.

2. *Super utroque praedicto Altari ardeant sex cerei tantum, nisi circa Reliquiam, aut insignem Imaginem, quae forte ad venerationem ibi exposita inveniantur, aliae habeantur candelae.*

3. *Prope angulum infimi gradus Altaris, ad quod s. functio peragetur, a cornu Epistolae, paretur Faldistorium cum pulvino, undique coopertum textili eiusdem qualitatis et coloris ac cetera paramenta Celebrantis et Ministrorum, absque tamen ullo suggestu, sed super parvo tantum tapete.*

4. *Pulvinus, concolor paramentis, ponetur super infimo Altaris gradu, in medio.*

5. *Super Allare ipsum, pro Protonotario de numero, nisi malit et ipse sacras vestes sumere in sacristia (quod magis convenit, si adsit Capitulum) ponentur in medio omnia paramenta pro Celebrante, ordine retrogrado, scilicet: annulus (1) (nisi hunc in digito gestet Praelatus ad Altare accedens), pluviale, stola, Crux pectoralis (nisi illa adhibeatur, quam gestet Protonotarius, ut supra), cingulus, alba et amictus.*

6. *E latere Epistolae, abacus seu mensa aptetur satis ampla, quae nonnisi necessaria contineat, in functione adhibenda, idest candelabra duo cum cereis ardentibus pro acolythis, librum vesperalem et palmatoriam, ac si Protonotarius de numero ad Faldistorium induitur, mitram seu mitras, unam ex tela videlicet aurea, et alteram ex serico damasceno, cum pileolo submitrali (si eo uti velit Praelatus, et nisi illum in capite deferat) necnon velo pro ministro de ea inserviente, librum pro cantore ad Capitulum. Candelabra et mitra seu mitrae parentur in sacristia, si ibi Praelatus sacris induatur paramentis. Mitra erit ex serico albo, cum qua adhi-*

(1) Super pelvula argentea. Ordine erit ultimus, sed ne paramentis absconditus male versetur, seorsim collocabitur.

beri valet altera ex tela linea, pro Protonotario supranumerario.

7. *In plano presbyterii*, locabuntur scabella quatuor, vel sex, iuxta maiorem vel minorem festi solemnitatem, sin minus scamina oblonga, pro duobus assistentibus, et duobus vel quatuor cantoribus, pluvialibus induitis, adfuturis.

8. *Ad Altare SS.mi Sacramenti*, intra vel extra eius septa, prout commodius videbitur, si Protonotarius ad Altare sacra capiet indumenta, aut si per principalem ecclesiae portam ingrediatur, disponetur in medio planitiei scannum decenter elaboratum, sed nudum, cum duobus pulvinaribus ex panno concolori parantibus solemnitati congruentibus, vel semper violaceo.

9. *Ad fores ecclesiae*, si per eas Protonotarius accedat, clericus quidam expectabit, vasculum aquae benedictae cum aspersorio gestans; item duo clericorum cum caeremoniarum magistro. Si autem Protonotarius non per fores ecclesiae, sed e sacristia, praelatitio habito induitus, si sit de numero, ecclesiam ingrediatur, ut ad Altare dein sacra capiat indumenta, aut alias iam paratus procedat, ille ad sacristiae ianuam, alii vero in sacristia ipsa expectabunt.

10. *In sacristia*, si Altare habeatur, rite illud adorinetur, cereique super eo accendantur.

11. Si Protonotarius ibi sumat pontificalia indumenta, haec super Altaris mensa, aut si Altare non adfuerit, super alia decenti disponantur, ut dictum est num. 5.

12. Alia super mensa collocentur pluvialia quatuor vel sex pro assistentibus et cantoribus, cum totidem superpelliceis et biretis.

13. Superpellicea insuper habeantur alia sex pro clericis inservientibus, alia autem pro caeremoniarum magistro, uno vel duobus, et pro ceteris, si qui sunt in choro adfuturi.

14. In promptu item sit thuribulum cum navicula incensi, et focus tempestive alendus: qui ab initio ardere debet, si habeatur crux capitularis, processionaliter deferenda, quae loco congruo sistetur.

15. In plano ante Altare, vel parietem principem collocetur super tapete sedes cameralis deaurata, violaceis cussinis praedita, ita conversa ut Praelatus sedens terga Altari seu parieti vertat.

§ 2.

De accessu Protonotarii ad ecclesiam, ac de ceteris usque ad sacrae actionis initium.

16. Si Protonotarius ecclesiam ingrediatur per principalem portam, famulus, decenti nigro habitu indutus, illum comitabitur, eique, in templi vestibulo, recepto pileo (et pallio violaceo hiemali, si eo Praelatus utatur), porrigit biretum, quod ille prae manibus, praeterquam cum sederit, aut extra ecclesiam ambulaverit, gestabit.

17. Caeremoniarius, in ipso ingressu, sumpto aspersorio ex vasculo, illud porrigit Praelato, qui medii digitii contactu, aquam benedictam assumit, cum eaque seipsum Crucis signo munit.

18. Tum, praecedente famulo (qui postea se in partem retrahit, et sistit, donec transeat Protonotarius), caeremoniario ad laevam adstante, et sequentibus duobus clericis, Praelatus accedit ad Aram SS. Sacramenti, brevem orationem ad genuflexorium habiturus (1), qua durante, clerici cum famulo in genua procumbunt.

19. Exinde, si Protonotarius erit de numero, et apud Faldistorium induere malit sacras vestes, proceditur ad

(1) Si pileolum gestet Praelatus, meminerit illum per semetipsum auferre, dum genuflexiones vel reverentias facit, ss. paramentis non indutus.

Altare princeps, ubi brevis item fit oratio, genua flectente Protonotario super pulvino ad gradum Altaris: quo tempore, Presbyteri assistentes et cantores, superpelliceo et pluvialibus induiti, accedent, cum clericis insertientibus.

20. Praelatus tandem ad Faldistorium accedit, stantibus hinc inde duobus assistantibus; ceteris autem ad scannum sedentibus aut stantibus, prout Celebrans sedet aut stat.

21. Famulus praesto erit a latere Epistolae, ut congruo tempore accipiat mantelletum et biretum, quae in sacristia deferet, non reversurus ad Altare, nisi ritu completo, ad eadem suggerenda.

22. Similiter continget, si per sacristiam Protonotarius de numero accedat, et ad Altare sacris vestibus induatur.

23. Cum vero Protonotarius de numero aut supernumerarius sumpturus est sacra indumenta in sacristia, et per ecclesiam transit, fiet oratio ad SS. m. Eucharistiam, et immediate proceditur ad locum praefatum, ubi pluvialistae assistentes prope sedem sistent, hinc inde, cantores seorsim.

24. Cum sederit Praelatus in Faldistorio, sive sede camerali (in sacristia), ad Altare vel mensam se conferunt clerici, ut sacra ordinatim recipient paramenta, quae ante Praesulem deferent, nutui attendentes caeremoniarii.

25. Protonotarius, depositis bireto (pro manus osculo assistentes annuli intelligent), (pileolo et Cruce) ac mantelletu (et annulo), surget, et signo sanctae Crucis praemisso, accipiet a primo assistente amictum, quem more solito sibi imponit (orationes ad paramenta non dicuntur, nisi ad Missam), et cetera similiter paramenta assumit, stans usque dum stolam (more episcoporum)

aptaverit. Sedens deinde recipiet pluviale (pileolum), mitram et annulum.

26. Si e sacristia sic indutus egredietur, si quando deferenda sit Crux capitularis, antequam surgat, accedente thuriferario, incensum in thuribulum ponit, illud benedicens consueta sub formula (Benedictio petitur per verba: *Benedicite, Pater reverendissime*).

27. Mox ordinatis thuriferatio, Cruce capitulari, acolythis candelabra cum cereis ardentibus deferentibus (sin minus, acolythis tantum) et clero, praemissa reverentia Crucis seu imagini principi, praecedentibus pluvialistis cantoribus, bireto coopertis, et caeremoniarum magistro, incedet Protonotarius, medius inter duos pluvialistas assistentes, item tecto capite procedentes.

28. Ad ecclesiae ianuam omnes lustrali aqua se signabunt, illam accipiente Praelato, qui mitram dimitat, per contactum aspersorii per manum primi assistentis porrecti, qui tunc cum aliis biretum deposuerit (nisi iam in primo ingressu id actum sit).

29. Presbyterium cum fuerint ingressi, pluvialistae caput detegunt; prope infimum Altaris gradum, secundus mitra (1) (et primus pileolo) exuit Protonotarium et omnes ad Crucem reverentiam faciunt, respective caput inclinando, vel genuflectendo: deinde omnes in genua procumbunt, orantes aliquantulum (*Aperi, Domine... Domine, in unione...*).

30. Ad caeremoniarii nutum, surgunt omnes, pileolum et mitram per primum assistentem sumit Protonotarius, et repetita reverentia, suum quisque locum petit.

31. Protonotarius in Faldistorio sedet, utrinque habens pluvialistas assistentes, stantes facie ad populum versa.

(1) Secundus assistens non est habendus tamquam Subdiaconus in Missa, cui non competit mitram auferre: sed potius tamquam secundus Diaconus, seu minister alteri aequalis.

§ 3.

De initio Vesperarum et ceteris usque ad canticum Magnificat.

32. Aliqua mora interposita, caeremoniarius, annuente Praelato, sacrae actionis inchoandae dat signum.

33. Accedunt statim ante Faldistorium pluvialistae cantores, retro autem clerici de libro et de palmatoria; inter cantores conveniunt, duo assistentes, et omnes una simul Celebrantem reverentur, cui secundus assistens mitram (et primus pileolum) aufert.

34. Tunc surgit Protonotarius, per suam sinistram convertitur ad Altare, et dicit secreto, quod et omnes alii faciunt, *Pater noster.... Ave, Maria.*

35. His dictis, signum Crucis ducens a fronte ad pectus, cantat: *Deus, in adiutorium meum intende;* expectat donec siniatur a choro *Sicut erat...* cum *Alleluia vel Laus tibi, Domine...* et clara voce resumit Antiphonae praeintonationem, sibi a primo cantore factam.

36. Vix autem ac primi psalmi initium decantatum est, se vertens per dexterum latus, sedet, et accipit (pileolum) et mitram (simplicem, si hac velit uti), sic manens, usque dum repetita fuerit Antiphona post quintum psalmum.

37. Pluvialistæ ac ceteri omnes, praeter caeremoniarium, ad sua loca sedent.

38. Ad *Gloria Patri*, ad nomina *Iesu, Maria*, etc. Praelatus caput inclinat, mitram non dimittens.

39. Postquam repetita fuerit Antiphona praedicta, assistentes et cantores una accedunt ante Faldistorium, e quo surgens Protonotarius se ad Altare, ut prius, convertit, mitram in capite tenens, usque dum, post Capituli

cantum a primo cantore expletum, excipiat ab eodem praeintonationem hymni.

40. Audita hac praeintonatione, sedet, et mitra (1) per assistentem pluvialistam exuitur.

41. Statim surgit, et se ad Altare iterum convertit. Repetit hymni praeintonationem, et stat, sic conversus, quoisque, cantato hymno cum $\text{\textit{x}}$. et $\text{\textit{g}}$., antiphonam intonuerit.

42. Pluvialistae cantores interea ad sua loca redeunt: revertuntur autem ad Praelatum, post $\text{\textit{x}}$. ante Altare decantatum

43. Accipit Praesul praeintonationem Antiphonae ad canticum *Magnificat*, a primo cantore datam, et illico eandem intonat, clara voce cantans, et sedet.

44. Deinde, accepta mitra (nobiliori), imponit ac benedit incensum, more consueto.

45. Tunc assistens et cantores primi ad dexteram, secundi ad sinistram Celebrantis accedunt, qui ad cantici initium surgit, se signo Crucis, coniunctim cum assistentibus et cantoribus, signat, et cum eis ante medium Altaris accedit, factaque Crucis reverentia (et choro), ad Altare SS.mi Sacramenti thurificandum pergit, sequenti servato ordine.

(*Continuabitur*).

(1) De pileolo nihil amplius dicemus, satis iam ienuimus quando et quomodo suferendus et imponendus sit.

Praxis liturgica

RITUS in Pontificalibus celebrandis a Protonotariis Apostolicis servandus.

(*Continuatio V. num. 2, ann. curr. pagg. III-118.*)

§ 4.

De Altarium thurificatione, et reliquis usque ad finem Vesperarum.

46. Duo acolythi, qui, dum Antiphona ad *Magnificat* cantabatur, candelabra e mensa susceperunt, medium habentes thuriferarium, facta ad caeremoniarii nutum genuflexione, procedunt ad Altare SS.mi Sacramenti, ante pluvialistas cantores, qui bini praecedunt assistentes cum Celebrante. Hi vero capite cooperto, e presbyterio exeuntes, incedunt.

47. Thuriferarius, ad Altare praedictum cum pervernerit, seorsim, a latere scilicet Epistolae, se sistit; duo acolythi, hinc inde recedentes, faciem ad invicem vertunt, donec pertransierint pluvialistae (qui bireta deponunt), et ad Altare statim convertuntur. Postquam secundus assistens mitram abstulerit Praelato, vix dum ante Altaris gradus accesserit, omnes genuflexionem faciunt in plano.

48. Gradus concendit Praelatus cum suis assistentibus, et ipse solus mensam osculatur Altaris.

49. Tum, accepto per manus primi assistentis thuribulo, debitas servans genuflexiones, et, si aderunt Reliquiae, reverentias, thurificationem complet Altaris; quo facto, tradit thuribulum assistenti (hic autem thuriferario,

qui inter acolythos vadit), et ad medium reversus, inclinatione praemissa ad Crucem, descendit, ac genuflectit rursus cum ceteris in plano.

50. Accepta mitra, regreditur, cum eodem comitatu, ad Altare princeps, ubi, depositis a pluvialistis biretis, ante infimum gradum mitra exuitur per secundum assistentem, et per omnia se gerit, ut ad Altare SS.mi Sacramenti, his exceptis: genuflexiones minime facit, et mitra cooperitur vix tradito thuribulo (1); acolythi sua candelabra ab abacum deponunt.

51. Facta in plano Cruci (et choro) reverentia, ad Faldistorium revertitur, ante quod sistit facie ad populum conversa, ut thurificationem accipiat per primum assistentem, cum ceteris pluvialistis coram stantem.

52. Exinde sedet, mitra exuitur, et surgens, se ad Altare vertit, sic mansurus usque ad Vesperarum conclusionem, praeterquam forte ad Antiphonae repetitionem, ut infra.

53. Primus assistens (mitra per secundum Praelato dempta), fimbria pluvialis super Faldistorio expansa, se ad pluvialistam ultimum convertit, et accipit thurificationem; similiter secundus assistens. Si tamen aderit chorus, pluvialistae post chori thurificationem incensantur.

54. Interim alter e cantoribus, sive alii tres, ad proprium scamnum secedunt, ubi thurificationem per praedictum accipiunt. Hic autem, ad suum scamnum reversus, incensatur a thuriferario, qui ceteros clericos et populum thurificat.

55. Finito cantico, cum y. *Sicut erat..., si prolixior erit Antiphona, quae repetitur, sedebit Praelatus, uti sub initio.*

(1) Si thurificandum sit aliud altare, v. gr. Titularis, fit ut in hoc numero, antequam ad altare princeps procedatur.

56. Post cantum Antiphonae, Protonotarius, pluvialistis assistentibus hinc inde, cantoribus autem post illos stantibus, ministris vero de libro et palmatoria ante illum, acolythis demum ceroferariis ad latera eorumdem ministrorum, stans ad Altare versus ut prius, cantat: *Dominus vobiscum.... Oremus*, cum convenienti Oratione, quam concludit.

57. Hac finita, pluvialistae cantores ante Altare procedunt.

58. Siqua facienda sit Commemoratio, iidem cantores cantant versiculum, Praelatus autem *Oremus* et congruam Orationem, quod si plures habeantur, ultimam tantum concludit.

59. Post ultimam conclusionem, repetit: *Dominus vobiscum*, et pluvialistae cantores cantant: *Benedicamus Domino*; ipse vero post responsionem chori *Deo gratias*, subdit: *Fidelium animae, etc.*

60. Si in choro non sit dicendum Completorium, statim, post *Pater noster...*, sequitur *Dominus det nobis...*, et Antiphona B. M. V. cum reliquis, sub quibus, iuxta temporis qualitatem, Protonotarius eodem loci stat, vel ante ipsum Faldistorium super pulvino genua flectit; semper autem stat dum Orationem, tono feriali, cantat.

61. Tunc sedet Protonotarius, et accipit mitram; accedunt statim ante eum pluvialistae cantores, qui hinc inde se collocant ab assistentibus, ut Praelatum reverentur.

62. Si Protonotarius de numero ad Altare sumpsit ss. paramenta, ibidem illis exuetur, recedentibus tunc ad scannum pluvialistis cantoribus, qui sedebunt aut stabunt, prout ille sedebit aut stabit.

63. Exuitur igitur Protonotarius mitra, et ceteris paramentis; quibus depositis, famulo accidente, induitur mantello; dein, acceptis Cruce et pileolo (si velit), et

bireto per primum ex assistentibus, invitante caeremoniario, de Faldistorio surgit, et ante Altare procedit, brevem acturus orationem (*Sacrosanctae..*) genuflexus super pulvino, in medio infimi gradus posito.

64. Expleta oratione, reverentia Crucis Altaris, nec non pluvialistis facta, ad sacristiam revertitur, sive ad ecclesiae januam, eodem quo venerat comitatu.

65. Sin autem in sacristia ss. paramenta sumpserat Protonotarius de numero vel supranumerarius, pluvialistae, post salutationem, locum permutant, primi ad dexteram, secundi ad sinistram Praelati accedentes. Surgit Praelatus, et coniunctim cum pluvialistis ante Altare procedit, ut genuflexus orationem faciat, et illud reveretur.

66. Denique ad sacristiam revertuntur, ordine servato, qui in accessu servatus fuerat.

67. Facta Crucis vel imagini praecipuae reverentia, eodem in loco, in quo sacra sumpserat indumenta, Protonotarius iisdem exuitur.

68. Reassumpto mantelletto (Cruce ac pileolo) et bireto, salutat pluvialistas, et ad sua recedit, ad januam recipiens pileum (et pallium).

ARTICULUS II.

Ritus scrvendus a Protonotario supranumerario
extra Urbem et propriam Dioecesim
nec non a Protonotario « ad instar ».

§ 1.

De rebus praeparandis.

69. Praeter ea quae describuntur sub no. 1, 2, 4, 8, 9, 10, 12, 13, 14, 15, haec alia sunt praeparanda:

70. *Ad Altare maius*, mensa seu abacus in quo habeantur: liber vesperalis, qui ponetur potius super le-

gile praecaltum, si habebitur, et palmatoria; scamnum oblongum, prout requiritur ad Missam solemnam, panno copertum coloris congruentis et cum cussino in medio: scama duo, parva seu longiora, iuxta numerum pluvialistarum cantorum, in medio presbyterii.

71. In Sacristia, super Altari seu alia mensa, disponuntur paramenta pro Praelato, scilicet: pluviale, Crux pectoralis sine gemmis, funiculo appensa serico violacei coloris (nisi eam gestet Protonotarius), amictus, mitra ex serico damasco, nullo ornamento ne in oris quidem distincta, annulus cum unica gemma (nisi illum iam gerat Protonotarius), velum pro clero de mitra inserviente.

72. Si aderit legile, satis sunt quinque clerici ministrandentes.

§ 2.

De accessu Protonotarii ad ecclesiam, ac de ceteris usque ad sacrae actionis initium.

73. Oronia servabuntur quae dicta sunt nn. 16, 17 18, 23, 24, 25. Advertatur tamen, numerum indumentorum pro Protonotario *ad instar* esse minorem, cum celebrare Vespertas debeat *more Presbyterorum*.

74. Protonotarius igitur, in sacristiam cum pervernerit, sedebit in sede camerali.

75. Congruo autem tempore, utrimque habens assistentes pluvialistas, indutos tantum superpelliceo, sacra paramenta assumet hoc ordine: amictum, Crucem, pluviale, mitram, annulum.

76. Ad Altare proceditur, et alia fiunt ut nn. 27, 28, 29, 30 dictum est, sed thuriferarius, etiamsi praecedat Crux, non deferet thuribulum.

77. Facta ad Altare oratione, Protonotarius, mitra

coopertus, scamnum petet, in cornu Epistolae positum, in quo una cum assistentibus sedet.

§ 3.

De initio Vesperarum, et ceteris usque ad canticum Magnificat.

78. Post brevem moram, caeremoniarius, annuente Praelato, nutum praebet inchoandi.

79. Accedunt ante Celebrantem pluvialistae cantores, et clerici de libro (nisi adsit legile) et de palmarioria.

80. Secundus assistens a sinistris, quin e suo loco cedat, mitram (et primus pileolum) aufert Protonotario.

81. Tum surgit Praelatus, et dicit secreto, quod et alii omnes faciunt, *Pater noster... Ave, Maria.*

82. His dictis, cantat de more *Deus, in adiutorium...*, atque intonat primam Antiphonam, a primo cantore sibi praenunciatam.

83. Post psalmi initium, sedet, et accipit (pileolum et) mitram, per primum assistentem, nec surgit nisi post repetitionem Antiphonae, finito quinto psalmo.

84. Pluvialistae et alii clerici ad sua loca sedent.

85. Ad *Gloria Patri*, ad nomina *Iesu* et *Mariae* etc., Praelatus caput inclinat, mitram non dimittens.

86. Postquam repetita fuerit Antiphona praedicta, pluvialistae cantores accedunt ante Celebrantem, qui, mitra deposita, surgit, et cantat Capitulum.

87. Tunc primus e cantoribus praintonat hymnum Celebranti, qui illum iuxta tonum receptum intonat.

88. Cantores ad loca sua recedunt, et revertuntur post decantatum *X. ante Altare.*

89. Antiphona ad *Magnificat* a primo cantore praenunciatam intonat Protonotarius; sedet, et accipit mitram.

90. Pluvialistae cantores accedunt respective ad dexterum latus primi assistentis et ad sinistrum secundi.

91. Ad cartici initium, surgit Protonotarius, et signo Crucis se signat, quod et alii faciunt; accedit illico ante Altare, coniunctim cum Pluvialistis, et Crucem (et chorum) reveretur, ad Altare SS.mi Sacramenti thurificandum iturus.

§ 4.

De Altarium thurificatione, et reliquis usque ad finem Vesperarum.

92. Omnia fiunt ut dictum est nn. 46, 47, 48.

93. Osculato Altari, Protonotarius imponit ac benedicit incensum, uti mos est, et accepto thuribulo, omnia peragit, ut nn. 49, 50.

94. Facta in plano Crucis (et choro) reverentia, ad scannum revertitur, ante quod sistit mitram tenens, usque dum thurificationem accipiat per primum assistentem, cum ceteris pluvialistis coram stantem.

95. Exinde sedet, et mitra deposita, surgit, stans usque ad Vesperarum conclusionem, praeterquam forte ad Antiphonae repetitionem, ut n. 55.

96. Pluvialistae assistentes, mitram cum deposuerit Celebrans, ad eius latera accedunt, ubi ab ultimo e cantoribus thurificantur, nisi prius chorus thurificandus sit.

97. Reliqua fiunt ut nn. 54, 55, 56, 57, 58, 59, dictum est, cauto quod pluvialistae cantores stant ante Celebrantem, dum primam Orationem cantat.

98. Si in choro non sit dicendum Completorium, statim sequitur *Pater noster...*, *Dominus det nobis...* et Antiphona B. M. V. cum reliquis, sub quibus Protonotarius stat, ut prius, si temporis qualitas hoc poscat, et dicto *r. Divinum auxilium...*, accendentibus pluvialistis

cantoribus, qui eum reverentur, sedet, et assumpta mitra surgit, ac iisdem, cum assistantibus, comitantibus hinc inde, ante medium Altaris accedit, quod, dimissa mitra, reveretur.

99. Tum genuflectit super pulvino in infimo Altaris gradu, recitaturus orationem *Sacrosanctae...*

100. Si autem genuflectendum sit sub praedicta Antiphona, dicto *Pater noster...*, sedet, ut mitram accipiat, dum pluvialistae cantores ad eum accedunt, eumque reverentur. Deinde, comitantibus hinc inde pluvialistis, ad Altare accedit, ante cuius gradus mitram exuit, illudque reveretur. Tum super pulvino in infimo gradu genua flectit, et, dicit *Dominus det nobis...* Sequitur Antiphona qua dicta, post versiculum, surgens, Orationem tono feriali canit.

101. Finita Oratione, iterum genuflectit, et recitat *Divinum auxilium...* *Sacrosanctae...*

102. Denique surgit, accipit mitram, et ordine servato quem in accessu tenuerant, revertuntur omnes in sacristiam, ceteris quoque servatis, quae nn. 67, 68 descripta sunt.

(*Continuabitur*)

L. B. M. MENGHINI.

Praxis liturgica

(*Continuatio.* V. num. 4, anni curr. pagg. 259-266).

CAPUT II.

D E M I S S A.

ARTICULUS I.

Ritus servandus

a Protonotario de numero Participantium (1)
et a supranumerario (2).

§ 1.

De rebus praeparandis

103. Ornatus ecclesiae et altarium idem erit de quo supra, no. 1-5, 8-11, 13-15. Attamen si celebraturus est Protonotarius de numero, supra mensam altaris ponentur insuper: chirothecae sericae, opere phrygio distinctae: loco pluvialis, planeta cum dalmatica et tunicella: quae omnia supra mensam sacristiae disponentur, si Protonotarius malit ibi ss. paramenta assumere.

104. Super mensa, seu abaco, e latere epistolae, haec parari debent: candelabra duo cum cereis ardentibus pro acolythis: calix cum purificatorio, patena, hostia (una) et palla, qui calix velo cooperietur, quo Subdiaconus postea utetur in Missa: missale, evangeliarium, intra quod erit manipulus celebrantis, epistolarium et canon: palmatoria, ampullae cum pelvicula (et campanula): urceus cum pelvi, et manutergium in lance: mitra ex tela

(1) Extra Urbem ubique.

(2) Infra propriæ Dioeceseos limites.

aurea (et alia serico-damascena, si mutari velit in functione), cum velo pro ministro de ea inserviente: caligae et sandalia ex tela serica argento aurove contexta, et auro in oris ornata.

105. Si tamen Protonotarius sacras vestes induere velit in sacristia, candelabra, evangelarium cum maniple, canon et palmatoria, urceus cum pelvi, mitra, caligae et sandalia in eadem sacristia parari oportet. Ita pariter canon et palmatoria, nisi alia habeantur. Item sacra indumenta pro Ministris.

106. In loco apto intorticia pro elevatione.

107. Pro supranumerario, quae descripta sunt semper in sacristia disponentur, et cavebitur ut chirothecae sint simplices, uno orue textu ex auro, mitra ex serico albo, similiter ornata (et alia simplex ex lino, si alternatim, cum altera adhiberi velit in functione), caligae et sandalia ex serico tantum, cum orae textu ex auro.

§ 2.

De accessu Protonotarii ad ecclesiam, ac de ceteris usque ad sacrae actionis initium.

108. Si Protonotarius per ecclesiae principalem portam ingrediatur, fiunt quae dicta sunt nn. 16, 17, 18.

109. Exinde Protonotarius de numero, si ad Altare princeps assumere malit sacras vestes, ad illud accedit ibique orationem facit genuflexus super pulvino in infimo Altaris gradu: quo tempore accedunt sacri Ministri (Presbyter assistens (1) cum superpelliceo, aut chorali indumento, Diaconus et Subdiaconus cum dalmatica et tunicella respective) aliquae clerici inservientes.

(1) Protonotarius supranumerarius Presbyterum assistentem non habebit coram Ordinario aut Praesule eo maiori.

110. Tunc Praelatus ad Faldistorium accedit, stantibus hinc inde duobus ministris, Presbytero assistente prope scannum ad cornu Epistolae.

111. Famulus se geret ut n. 21 dictum est.

112. Pro manus osculo sacri Ministri annuli intelligent. Benedictiones petentur per verba *Pater reverendissime*.

113. Similiter continget si per sacristiam Protonotarius de numero accedat, et ad Altare sacris vestibus induatur.

114. Cum vero Protonotarius de numero aut supernumerarius sumpturus sacra indumenta in sacristia, per Ecclesiam transit, fiet oratio ad SS. m. Eucharistiam, et immediate procedetur ad locum praedictum ubi sacri ministri sistent prope sedem hinc inde, alijque seorsim.

115. Cum sederit Protonotarius, et tempus incipiendi advenerit, ad nutum Caeremoniarii, praesto erit Presbyter assistens, superpelliceo indutus (aut chorali habitu), a dextris, ut legenti Praelato ex libro, quem attulerit clericus alteri consociatus de candela inservienti (quam nunquam tenebit Presbyter), assistat in praeparatione ad Missam.

116. Interim ⁺famulus accedit cum clero gestante in lance caligas et sandalia ante Protonotarium, cui detractis calceis imponit praedicta.

117. Psalmos et preces alternatim recitat Protonotarius cum Ministris; et, ad *Kyrie* cum pervenerit, surgit, detecto capite, et se ad Altare convertit, sic stans usque ad Orationum conclusionem.

118. Tum rursum sedet, et recitat, si velit, ceteras preces.

119. Antequam sacra capiat paramenta, deposito bireto, (crucem et) mantelletum dimittit; Diaconus ei anulum aufert et tradit Caeremoniario; biretum resumit,

et accendentibus acolythis ministris lotionis, manus lavat,
et mantili a Presbytero assistente sibi porrecto abstergit.

120. Recedit Presbyter assistens, et pluviali induitur,
supposito amictu, et clerici praedicti manet autem Pro-
tonotarius, coopertus bireto.

121. Accedunt clerici, sacra paramenta deferentes,
ante Praesulem, qui tunc, deposito bireto, surgit, et a-
diuvantibus duobus Ministris induit se, prout solent Epi-
scopi, stola utrinque pendente, et excluso manipulo, cuius
tamen orationem dicit immediate post alias.

122. Duo ministri, postquam Praelatum salutaverint,
recedunt ad manipulos assumendos, dum Presbyter as-
sistens (alias Diaconus antequam recedat), ante Proto-
notarium stans, illius digito annulum imponit, cum osculis
et salutationibus.

123. Exinde Presbyter praedictus ad dexteram Praelati
se collocat, p[ro]ae manibus gestans biretum: Diaconus
accedit ad sinistram, biretum similiter tenens: Sub-
diaconus ad sinistram Diaconi (nisi defuerit Presbyter
assistens, quo in casu Diaconus si thus adhibendum est,
a dextris, Subdiaconus ante Praelatum se collocant),
evangeliarium cum manipulo Praelati gestans.

124. Cum tempus advenerit ad Sacrum inchoandum,
si e sacristia egrediendum erit, et Crux capitularis fue-
rit deferenda, antequam surgat Protonotarius, ministrante
navicula Presbytero assistente (alias Diacono), incen-
sum in thuribulum imponit ac benedicit.

125. Deinde ordinatis thuriferario, Cruce, acolythis
cum candelabris (sic minus acolythis tantum) et clero,
praemissa reverentia Crucis seu imagini principi, praec-
cedente Subdiacono, capite tecto, et Caeremoniarum Ma-
gistro, incedit Protonotarius medius inter Presbyterum
assistantem et Diaconum, qui tunc caput cooperiunt
(absente Presbytero), Diaconus incedit ante celebrantem).

126. Ad ecclesiae ianuam omnes aqua lustrali se signabunt, ut dictum est n. 28.

137. Ad Altare cum pervenerint, Subdiaconus, Presbyter assistens et Diaconus biretum deponunt: ceteris de more sua loca petentibus, Subdiaconus ad cornu Evangelii secedit, atque appropinquanti Diacono (si adest Presbyter assistens) ad Altare, illi se adiungit, traditque evangeliarium Caeremoniario.

128. Diaconus ad laevam (ad dexteram absente Presbytero), mitra exuit Protonotarium, omnesque debitam faciunt reverentiam.

129. Si Protonotarius de numero sacra assumpsit indumenta ad Faldisatorium, eodem ordine, quo cum Ministris, biretum minime gestantibus, invenitur, ad Altare procedit.

§ 3.

De Missae initio, ad eiusdem finem.

130. Incipit Missa, ut de more.

131. Post *Indulgentiam*, Subdiaconus, accepto manipulo, ante Diaconum procedens, illum alligat sinistro brachio Celebrantis, cum osculo prius manipuli, et postea manus Praelati, qui interim nihil dicit.

132. His peractis, concluditur Confessio.

133. Tum Presbyter assistens, facta reverentia Crucis et Praelato, se confert ad cornu Evangelii, sequens Subdiaconum; Diaconus transit ad dexteram Celebrantis, Subdiaconus eidem appropinquat.

134. Altare concendent omnes, comitante Caeremoniario, qui tradit Subdiacono evangeliarium, ad principium Evangelii Missae diei apertum.

135. Subdiaconus, postquam Protonotarius Altare osculatus fuerit, evangeliarium illi porrigit: Presbyter

assistens locum Evangelii designat, et Protonotarius ambas manus ad librum applicans, idem osculatur.

136. Presbyter recedit ad cornu Epistolae in planum, facie ad Altare versa: Subdiaconus tradit evangeliarium Caeremoniario, et Diaconus ad thuris impositionem ac benedictionem ministrat.

137. Altaris thurificatio peragitur ut de more; et antequam thurificetur Protonotarius mitra cooperitur per caeremoniarum Magistrum.

138. Diaconus thurificans stat in piano inter Presbyterum assistentem et Subdiaconum.

139. Post thurificationem, Diaconus tradit thuribulum thuriferario, et cum Presbytero assistente et Subdiacono, ordine quo sistunt, per laevam ante Faldistorium procedunt.

140. Ibi expectant, seu potius obvium habent Protonotarium, qui reverentia ad Crucem facta, per breviorem, per suam dexteram, Faldistorium petit.

141. Cum sederit Celebrans, Diaconus eum exuit mitra, et ad dexteram illius, ad Altare per suam sinistram mox conversi, se confert: Presbyter assistens ad dexteram Diaconi accedit, ad librum conversus: Subdiaconus ad sinistrum latuſ Celebrantis ſe ſiſtit: ministri de libro et candela ſtant retro Faldistorium ante Praesulem, ille ad dexteram iſte ad laevam.

142. Si ad *Kyrie* ſedendum eſt, Celebrans id facit ſe vertens per dexterum latuſ; Ministri redeunt ante eum, quem Diaconus mitra cooperit; Subdiaconus illi super genibus imponit gremiale, et recedunt ad ſcamnum ſeſſuſi, bireto cooperti.

143. Circa finem, redeunt Ministri ante Praesulem, qui, mitra deposita ut prius, ad Altare conversus, stanibus post eum Diacono et Subdiacono, ante vero Presbytero assistente, aut clero, si Presbyter non adfuerit,

librum apertum offerente, intonat hymnum *Gloria in excelsis*, quem prosequitur submissa voce cum Ministris hinc inde accendentibus, super libro a clero sustento.

144. Hymno dicto, sedent omnes, ut ad *Kyrie*: eo-que finito; fit ut num. praeced., (quin tamen Celebrans ad Altare se convertat dum canit *Dominus vobiscum*), ut cantet Orationem.

145. Oratione finita, sedet, ut prius, et Subdiaconus consuetas facit caeremonias pro Epistola decantanda, postquam Diaconus et Presbyter sessuri recesserint.

146. Finita Epistola, Subdiaconus se confert post salutationes, ante Praesulem, cui genuflexus manum osculatur, ab eoque benedictionem accipit. Postea surgens, missale ante eum sustinet dum ille legit Epistolam aliquae usque ad Evangelii finem; quo tempore Presbyter assistens sistis ad laevam, et clericus de candela ad dexteram.

147. His expletis, Subdiaconus librum dimittit paulumque recedit, locum dans thuriferario ad incensi impositionem.

148. Diaconus, qui, dum Celebrans legeret Evangelium, attulit, consueto more, evangeliarium ad Altare, per breviorem accedit ad dexteram Protonotarii, ministratus naviculam, dum ille incensum imponit et benedicit.

149. Presbyter assistens aliquantulum se retrahit.

150. Diaconus, per breviorem rediens ad Altare dicit, super predellam genuflexus. *Munda cor meum*, et iterum per breviorem revertitur ad Praelatum; ante eum genuflectit, ab eoque petit recipitque benedictionem, et manum illius osculatur.

151. Ad cantum Evangelii proceditur more soiuto, sed antequam incipiat, Caeremoniarius gremiale et mitram aufer Celebranti, qui surgit et stat, ad Diaconum versus, cum Presbytero assistente ad laevam.

152. Evangelio decantato, post textus osculum et thurificationem, se vertit Celebrans ad Altare, ut intonet *Credo*, cum caeremoniis ad *Gloria servatis*, etiam in sedendo et surgendo post illius recitationem.

153. Cantato *Dominus vobiscum*, Protonotarius se vertit, ut prius, ut cantet *Oremus*, et legat versiculum *Offertorium*.

154. Postea sedet, et per manus Diaconi mitram accipit.

155. Locum capiunt Ministri a lateribus Celebrantibus: Diaconus annulum et chirothecam dexteræ manus illi aufert, cum osculis, Subdiaconus chirothecam sinistrae.

156. Interim Presbyter assistens ad Celebrantem accedit, ut annulum ei rursum imponat. Deinde accipit Missale et Canonem (super cussino, si adhibetur prolegili, sin minus nudis manibus), quin ea cooperiat pluviali, ac clericis de libro et de bugia comitantibus, eadem defert ad Altare, super illius mensam collocans de more, ibique sistit ad latus Epistolae conversus, usque dum veniat Praelatus.

157. Si Presbyter non assistat, annulum imponit Diaconus, libros vero gestat clericus de illis serviens.

158. Celebrans ad nutum Caeremoniarii, quin manus laverit, surgit et procedit ante Alterem, faciens Crucis reverentiam, mitra dimissa.

159. Subdiaconus, facta debita reverentia, recedit ad abacum, locum dans Presbytero assistenti, qui obviam venit Protonotario gradus ascendentib; cum Diacono. Velo humerali sumpto, agit de more, usque ad *Agnus Dei*.

160. Celebrans, postquam Altare osculatus erit, usque ad finem Missam prosequitur ut alias, haec animadverens: mitram assumit ad thurificationem et ad manum lotionem per Caeremoniarium; pacis osculum dat singulis sacris Ministris; non lavat manus post Communionem; be-

nedictionem, mitra coopertus antequam Altare osculetur, cum cantu et unico Crucis signo impertit, quod data, mitram deponit, et ad legendum ultimum Evangelium pergit. Quo finito, in medium Altaris se confert, et facta reverentia, in planum descendit, reverentiam ad Crucem (et ad chorū) acturus.

161. Presbyter assistens (alias clericus), quo tempore Celebrans thurificat Altare e cornu Evangelii, Missale cum legili seu cussino aufert, secum deferens infra gradus cornu eiusdem, eoque iterum ad locum pristinum collocato, accedit ad cornu Epistolae, mantile Praelato ministraturus ad unctionem.

162. Hoc facto, ad Missale revertitur, quod ante Praefationem seponit, illi substituens Canonem; id agit Caeremoniarius, si deerit Presbyter assistens,

163. Ad elevationem genuflectit a sinistris Celebrantis, eique sublevat planetae fimbriam

164. Dicto *Agnus Dei*, locum permutat cum Diacono, et genuflexus super predella manet a dextris Celebrantis, usque dum hic orationem perficiat *Domine Iesu Christe, qui dixisti.*

165. Surgit, et manus iunctas tenens, osculatur Altare, pacem recipit, eamque choro, si adsit, defert, ac postremo dat Caeremoniario, qui eum duxit, et redit ad Missale.

166. Dum Celebrans purificationem accipit, iterum ponit (eo absente Caeremoniarius) Canonem in medio Altaris, et Missale super pulvino seu legili, quod ad cornu Epistolae ipsem (alias clericus) transfert, dum Praelatus ablutionem sumit, ibi stans usque ad *Ite, missa est;* quo a Diacono decantato, ad latus Evangelii se confert.

167. Ibi benedictionem accipit, et ad librū assistit tempore Evangelii, inter Celebrantem et Subdiaconum.

168. Evangelio finito, ad dexteram Celebrantis accedit, eumque in planum comitatur, ubi cum aliis ad Altare conversus reverentiam facit.

169. Diaconus, post *Agnus Dei*, dum Presbyter assistens venit ad dexteram, vadit ad Missale, iterum ad dexteram reversurus vix dum Presbyter pacem acceperit.

170. Ibi genuflectit, quin Altare tamen osculetur, et pacem accipit a Celebrante. Tum redit ad librum, si Presbyter pacem choro communicet, secus retro Celebrantem, usque dum respective redeat Presbyter, aut recedat Subdiaconus, tunc enim ad dexteram Praelati rursus accedit.

171. Cetera de more procedunt, et antequam Celebrans Altare osculatur pro solemni benedictione imperienda, ei mitram imponit.

172. Benedictione accepta, mitram aufert Praelato, quam denuo imponit post Evangelii lotionem; immediate se ad eius sinistram collocat (ad dexteram si absuerit Presbyter), descendit de Altari manens ad sinistram Praelati, et cum aliis in piano debitam versus Altare facit reverentiam.

173. Deficiente Presbytero, pacem recipit, et Subdiacono communicat.

174. Subdiaconus ad *Agnus Dei* Altare non concendit (nisi defuerit Presbyter assistens), sed tantum ad pacem recipiendam a Celebrante, quin Altare osculetur, postquam Diaconus eam acceperit.

175. Hic expectat usque dum Diaconus redeat, si hic ad librum stat pro Presbytero: tunc redit in planum ibi manens usque dum Celebrans ablutionem sumpserit.

176. Si non assistat Presbyter, se gerit uti in aliis Missis solemnibus.

177. In ceteris pariter se gerit ut in aliis Missis, librum sustinens ad Evangelium, illumque post finem claudens.

178. Ad sinistram Diaconi manet super predella, e qua descendens dexteram tenet: postea vero, ad Altare conversus, reverentiam facit.

§ 4.

De agendis post Missam.

179. Protonotarius cum suis Ministris, postquam reverentiam ad Altare egerit (et ad chorum), ad Faldistorium revertitur, si sit *de numero participantium*, et ibi voluerit sacra indumenta accipere et deponere. Alias vero, si sit supranumerarius, aut maluerit sacras vestes induere et deponere in sacristia, eodem servato ordine ac in accessu (Subdiaconus sine Evangeliorio, thuriferarius sine thuribulo), ad sacristiam regreditur.

180. Ad Faldistorium sive ad sedem cum sederit, eum reverentur Ministri; Presbiter assistens recedit et pluviale cum amictu deponit; Diaconus et Subdiaconus manipulos, se aliquantum retrahentes, dimittunt, et redeunt omnes coram Praelato.

181. Subdiaconus ei manipulum aufert, Diaconus mitram: uterque exinde ad latera Praelati accedens, hunc adiuvat in ceteris paramentis dimittendis, ac mantello (cruce) et bireto resumendis.

182. Tum Protonotarius gratiarum actionem peragit, dum famulus sandalia et caligas eidem aufert, calciosque usuales aptat.

183. Interim Ministri uti ad praeparationem ante Missam se gerunt.

184. Praelatus tandem, si ad altare haec egerit, biretum prae manibus gerens, brevem orationem super infimo Altaris gradu facit, et ad sacristiam, seu ad ecclesiae ianuam, visitatione SS.mo Sacramento iterata, revertitur. eodem comitatu quo venerat.

185. Demum et Ministri, qui ad Altare permanescant, ad sacristiam revertuntur.

ARTICULUS II.

Ritus servandus a Protonotario supranumerario
extra Urbem et propriam Dioecesim
et a Protonotario * ad instar *.

§ 1.

De rebus praeparandis.

186. *Ornatus ecclesiae et altarium erit congruus solemnitati, ut nn. 1, 2, 8, 9, 10, 11, 13, 14, 15.* Notetur tamen, semper debere Protonotarium *ad instar* sacra indumenta in Sacristia assumere et deponere, quae erunt: planeta, chirothecae sericae tantum cum orae textu serico flavi coloris ornato, Dalmatica, Tunicella, Stola, Crux pectoralis sine gemmis funiculo serico violacei coloris pendens (nisi si eam gestet Protonotarius), cingulum, alba, amictus et annulus (nisi eum item gestet Protonotarius).

187. Super mensa aliqua disponentur: mitra simplex damascena, cum rubeis laciniis ad vittas, et velum pro clero de ea ministraturo; Evangeliarium cum manipulo celebrantis; caligae et sandalia serica tantum cum orae textu ex serico flavi coloris ornato, et alia~~ut~~ n. 105, nec non sacra indumenta pro ministris, et candelabra acolythorum.

188. In loco apto thuribulum cum navicula et intorticia pro elevatione.

189. Super abaco ad cornu Epistolae: Calix, Missale, Epistolarium, Canon, palmatoria, ampullae (campanula), urceus cum pelvi et manutergium in lance.

190. Super altari principe paratum erit Missale apertum super cussino seu legili.

191. Ad cornu Epistolae, scamnum oblongum, et prope illud a dextris scabellum pro Presbytero assistente.

192. Si Presbyter assistens non adfuerit, uti in Cathedrali et coram Ordinario aut Praesule eo maiore, recolantur dicta in articulo praecedente.

§ 2.

De preparatione ad Missam, de ipsa s. actione, et de reliquis post Missam.

193. Si Protonotarius *ad instar* per ecclesiae portam principalem ingrediatur, fiunt quae dicuntur nn. 16, 17, 18.

194. Sedet autem in Sede camerali in sacristia parata.

195. Ibi praeparat se ad Sacrum, induens caligas et sandalia, assistantibus ministris, ut nn. 114-140.

196. Sacri Ministri pro manus osculo annuli intelligent. Benedictiones petuntur per verba *Pater reverendissime.*

197. Post thurificationem Celebrantis, Diaconus eum mitra exuit: Presbyter assistens sistit prope Missale a dextris Celebrantis: Diaconus et Subdiaconus, ut in omnibus Missis solemnibus, ad Introitum et *Kyrie.*

198. Si ad cantum *Kyrie* sedendum erit, Praelatus mitra cooperietur a Diacono, et per breviorem ad scamnum se conferet, inter Diaconum et Subdiaconum, praecedente Presbytero.

199. Presbyter sedebit super scabellum sibi praeparatum, Praelatus inter alios Ministros, ut in aliis Missis.

200. Redibunt per longiorem ad altare, unam linneam efformantes, Subdiaconus, Diaconus, Protonotarius, Presbyter; ante gradus Diaconus mitram auferet Celebranti, antequam reverentiam faciant Crucis.

201. Sequitur Missa, uti mos est simplicium Presbyterorum: Presbyter assistens adstat a dextris Celebrantis dum hic intonat *Gloria* et *Credo*, ac statim dat locum Diacono, recedens extra cornu Epistolae. Praesul mitra induitur antequam progrediatur ad scamnum ad *Gloria* et *Credo*, ut supra, n. 142 Post hymnum non dicit *Pax vobis*, sed *Dominus vobiscum*.

202. Presbyter assistens Missale transfert ad Evangelium, et sistit prope illud, dum Celebrans legit: deinde reddit ad cornu Epistolae, Protonotario appropinquans sub cantu Evangelii.

203. In reditu, post *Credo*, Presbyter assistens ad Missale accedit, indicat versiculum *Offertorium*, et dans locum Subdiacono, qui venit ut Celebranti chirothecam auferat sinistram manus, se transfert ad Praesulis dextram, ut annulum ei rursus imponat, postquam Diaconus illum et chirothecam abstulerit. Hoc facto, reddit ad Missale, quod secum retrahit sub incensatione cornu Evangelii.

204. Subdiaconus autem, id cum fecerit, ad abacum se confert, et cetera peragit, ut de more.

205. Diaconus tradens annulum Presbytero assistenti, se aliquantulum retrahit.

206. Presbyter assistens, postquam Missale super mensam rursum collocaverit, ad cornu Epistolae accedit, ministraturus manutergium Celebranti ad *Lavabo*, stans a dextris Diaconi, dum hic illum thurificat.

207. Ad Praefationem, Missali substituit Canonem: ad elevationem genuflectit ad sinistris Celebrantis, cui planetam sublevat.

Praxis liturgica

(*Continuatio. V. num. 5-6, anni curr. pagg. 365-378*).

CAPUT III.

DE MISSA DE REQUIE.

ARTICULUS UNICUS.

Ritus servandus
a Protonotario de numero Participantum
extra Urbem ubique
nec non a supranumerario
extra Urbem, infra proprias Dioecesos limites (I).

209. Quando Protonotarius Missam solemnem de Requie est celebraturus, praeter ea quae sunt communia ceteris Missis, animadvertat quae sequuntur.

210. Protonotarius de numero adhibere poterit mitram simplicem damascenam, vel sericam, nullo opere distinctam, Protonotarius supranumerarius semper lineaam.

211. Neuter chirothecis, caligis et sandaliis unquam utetur.

212. Manipulus deberet imponi eodem ordine, quo recipiunt simplices Presbyteri; sed, commoditatis gratia, imponitur post dalmaticam.

213 Subdiaconus evangeliarium minime defert, cuius osculum omittitur.

(I) Protonotario *ad instar* Missam de Requie in Pontificalibus celebrare minime licet.

214. Presbyter assistens, finita Confessione, recedit e latere Epistolae apud Faldistorium.

215. Diaconus Praelato mitram imponit statim post *Aufer*.

216. Descendit cum Celebrante et Subdiacono per breviorem ad Faldistorium.

217. Sub finem *Sequentiae*, Diaconus, remanentibus Presbytero et Subdiacono in scamno, ad evangeliarium ad Altare deferendum se consert, et ad recitandum immediate *Munda cor meum*.

218. Ad *Sanctus*, si Presbyter assistens adfuerit, Subdiaconus altare non concendit: ita pariter ad *Agnus Dei*, manens in plano usque ad ablutionem Celebrantis.

219. *Pro Absolutione ad tumulum*, sacri Ministri Praelatum exuunt mitra, planeta, dalmatica, tunicella, manipulo, induuntque pluviali, et rursum mitra.

220. Diaconus tunc accedit ad sinistram Celebrantis.

221. Subdiaconus, Cruce hastili accepta, se collocat inter acolythos in medio Presbyterii.

222. Praelatus surgit, Cruce transeunte, et procedit ante Altare, factaque ibi reverentia, pergit cum aliis de more ad tumulum.

223. Faldistorium ad pedes situm erit.

224. Praelatus solus sedet.

225. Si cadaver praesens est (*physice aut moraliter*), Diaconus statim mitram aufert Celebranti, qui surgit, et ex libro ab acolytho sustentato canit orationem *Non intres*.

226. Post orationem sedet Praelatus, et mitra operitur Diaconus redit ad sinistram, ibi mansurus usque ad *Requiem aeternam* inclusive, in responsorio *Libera me, Domine*.

227. A dextris Celebrantis tunc se transfert, ac ministrat ad impositionem et benedictionem thuris.

228. Ad *Kyrie*, deposita mitra per manus Diaconi, Protonotarius surgit: deinde canit *Pater noster*, sub quo aspergit et thurificat tumulum, more consueto.

229. Ad Faldistorium reversus, e libro ab acolytho suggesto, canit: *Et ne nos...* cum ceteris.

230. Praesente cadavere, dum cantatur Antiphona *In Paradisum* Diaconus stat a dextris Praelati pariter stantis, et in fine subiungentis Antiphonam *Ego sum*.

231. Repetita a cantoribus Antiphona post *Benedictus*, Praelatus canit *Pater noster*, et aspergit fereum, illud non circumiens, sed tantum appropinquans.

232. Ad γ . *Requiem aeternam* signum Crucis producit versus tumulum.

233. Post *Requiescant in pace* a cantoribus decantatum, sedet, nihil adiiciens; mitra cooperitur, et ad sacristiam sub silentio redit, eodem servato ordine ac in accessu.

I. B. M. MENGHINI.

Nota. In fasciculo 56, Maii-Junii 1908, pag 378, addendum est: 208. Datur pax, et reliqua fiunt ut supra dictum est, num. 160-183.

Ritus a Protonotariis
Apostolicis in Pontificalibus
adhibendus.

Cap. I. De Vesperis.
Art. I. Ritus servandus a Pro-

tonotario de numero Partici-	tonotario de numero Partici-
pantium necnon a Supranu-	pantium et a Supranumerario.
merario.	
§. 1. De rebus praeparandis. 111	§. 1. De rebus praeparandis. 365
§. 2. De accessu Protonotarii	§. 2. De accessu Protonotarii
ad ecclesiam, ac de ce-	ad ecclesiam, ac de ce-
teris usque ad S. Actio-	teris usque ad S. Actio-
nis initium 114	nis initium 366
§. 3. De Vesperarum initio	§. 3. De Missae initio ad eius-
et ceteris usque ad Ma-	dem finem 369
gnificat 117	§. 4. De agendis post Missam. 375
§. 4. De altarium thurifica-	Art. II. Ritus servandus a Pro-
tione et reliquis, usque	tonotario Supranumerario ex-
ad finem Vesperarum . 259	tra Urbem et Propriam Dioe-
Art. II. Ritus servandus a Pro-	cesim et a Protononario « ad
tonotario supranumerario ex-	instar ».
tra Urbem et propriam dioe-	§. 1. De rebus praeparandis. 376
cesim, necnon a Protonotario	§. 2. De praeparatione ad Mis-
« ad instar ».	sam, de ipsa Sacra A-
§. 1. De rebus praeparandis. 262	ctione, et de reliquis
§. 2. De accessu Protonotarii	post Missam 377
ad ecclesiam, ac de ce-	
teris usque ad S. Actio-	
nis initium 263	
§. 3. De initio Vesperarum,	Argumenta varia.
et ceteris usque ad Ma-	
gnificat 264	De solemni Commemoratione
§. 4. De altarium thurifica-	centenaria S. Ioannis Cryso-
tione, et reliquis usque	stomi 209
ad finem Vesperarum . 265	De Graecorum altaris conse-
Cap. II. De Missa	cratione 232
Art. I. Ritus servandus a Pro-	Specimen Kalendarii universa-
	lis Ecclesiae pro anno Do-
	mini 1909 275
	Ordo depositionis barbae . . 379



Protonotarii Apostolici, ritus *in pontificalibus celebrandis servandus a Protonotariis Apostolicis*, 111 — ritus servandus a Protonotario *de numero Participantium*, ubique extra Urbem: nec non *a Supranumerario extra Urbem infra propriae dioeces. limites in Vesperis*, *ibid.* — de rebus preparandis, *ibid.* — de accessu Protonot. ad ecclesiam, ac de ceteris *usque ad sacrae actionis initium*, 114 — de *initio Vesperarum* et ceteris usque ad *Magnificat*, 117 — de altarium *thurificatione* et reliquis *usque ad finem Vesperarum*, 259 — ritus servandus a Protonot. *Supranumerario extra Urbem et propriam dioecesim*, necnon a Protonot. ** ad instar **, extra Urbem ubique 262 — de rebus praeparandis, *ibid.* — de accessu Protonot. ad ecclesiam, ac de ceteris *usque ad sacrae actionis initium*, 263 — de *initio Vesperarum* et ceteris usque ad *Magnificat*, 264 — de altarium *thurificatione* et reliquis *usque ad Vesperarum finem*, 265 — ritus servandus a Protonot. *de numero Particip.* extra Urbem ubique, et a *Supranumerario extra Urbem infra propriae dioeces. limites in Missa*, 365 — de rebus praeparandis, *ibid.* — de accessu Protonot. ad ecclesiam ac de ceteris *usque ad sacrae actionis initium*, 366 — de Missae initio *ad eiusdem finem*, 369 — de agendis post Missam, 375 — ritus servandus a Protonot. *Supranumerario extra Urbem et propriam dioecesim*, et a Protonot. ** ad instar **, extra Urbem ubique 376 — de rebus praeparandis, *ibid.* — de praeparatione ad Missam, de ipsa sacra actione, et de reliquis post Missam, 377

— de *Missa de requie*, 483 — ritus servandus a Protonot.
de numero Participantium extra Urbem ubique, nec non a
Supranumerario extra Urbem, infra propriae dioecesis
limites, *ibid.*